UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Corpvs Doctrinæ Christianæ

Melanchthon, Philipp

Lipsiæ, 1572

VD16 M 2890

De Confirmatione Et Vnctione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36094

Visual Library

DE CONFIRMATIONE ET VNCTIONE.

NOTVM eſt, formas conſecrandi oleum, magicas & execrandas eſſe ideo nec vnctiones illæ, in quibus vſus eſt eius olei, retinendæ ſunt, & vetuſtas hos ritus longe aliter exercuit, quam nunc exercentur. In ritu confirmationis, fiebat exploratio doctrinæ, in qua ſinguli recitabant ſummam doctrinæ, & palam profitebantur ſe improbare furores Ethnicos & hæreticos, & velle ſe eſſe & manere in Eccleſiæ membra, & non diſceſſuros à vera ſententia, quam tunc profitebantur. HIC mos erat vtilis ad erudiendos homines, & retinendos in vera agnitione Dei. Ac in Eccleſijs noſtris ſimiliter fit in catecheſi iuniorum, & in priuata confeſsione, in qua paſtores doctrinam populi explorant. SED ritus confirmationis, quem nunc Epiſcopi retinent, quid eſt niſi inanis vmbra? Præterea Vnctio, quæ nunc extrema nominatur, fuit olim medicatio, vt ex Iacobi epiſtola cap. 5. perſpicuum eſt. Nunc ſpectaculum eſt plenum ſuperſtitionis. Dicunt remitti peccata, per iſtas vnctiones: & addunt inuocationem mortuorum, quam etiam neceſſe eſt improbari. Igitur hi ritus non ſeruantur in noſtris Eccleſijs, nec ante hæc tempora Eccleſia ſenſit eſſe neceſſarios. Cæterum pro ægrotis fiunt publicæ & priuatim piæ precationes, ſicut promiſit Deus, ſed etiam corporis ærumnas petentibus mitigaturum eſſe, iuxta illud Pſalm. 49. Inuoca me in die tribulationis, & ego eripiam te. FIVNT & funera honeſta congregatione, & pijs commonefactionibus, & canticis.

DE TRADITIONIBVS, ID EST, RITIBVS IN ECCLESIA INSTItutis, autoritate humana.

NATVRA rationalis ordinem intelligit, & intellectus ordinis non obſcurum teſtimonium eſt de Deo, nec viuere homines ſine aliqua diſtinctione temporum, locorum, operarum, quietis, poſſunt, ſicut in familijs videmus oportere diſtincta eſſe tempora laboris, quietis, cibi, ſomni, & optima quæq; natura, in tota vita maxime eſt amans ordinis. Ac iubet Paulus 1. Corinth. 14. omnia in Eccleſia fieri decore & ordine FVIT igitur ſemper, inde vſque ab initio generis humani, ordo aliquis publicorum congreſſuum: & aliqua temporum & aliorum quorundam rituum diſtinctio, haud dubie plena grauitatis & elegantiæ, apud illa excellentia lumina generis